

# COLLEGIUM MEDICO-CURIOSI SPECIMEN III.

\* 8. Nervorum Opticorum Concurfus supra Sellam Cranii Equinam monstratus, in dissecto, (in gratiam Dn. Auditorum quorundam) Capite Vitulino. Et strictim recepta Opinio explosa, Naturam ideò dedisse Homini aut Animalibus aliis duos Oculos, duas Aures, duas Manus, &c. ut alterutrâ Parte ablatâ vel lasâ, Actio ejusdem in alterâ conservetur: Cur enim non etiam dedit duo Ora, duos Nasos, duo &c. alia? in quorum singulis multae pariter aegritudines contingunt? Verisimile suspicatus sum, concursum istum Nervorum inservire forsitan Rectificationi Imaginum, inversim primùm in Oculi fundo depictarum: & Fibras oblongas medullares Nervi Optici in calloso isto suo, ut videtur, concursu utcumq; vel conglomerari, vel ampliari, pro revolutione Specierum in latus aliud, utpote quae Corporeitatis omnis non prorsus sint expertes. Ex Nervis dein dissectis & pressis, Succus medullaris distincta guttula, instar Roris lactei, promanarunt, evidentissimo argumento, Nervos istos nec cavos esse, more Venarum vel Arteriarum; nec porosos aut spongiosos, instar medullae Sambuci aut Junci; sed fistulosos instar funiculi, ex multis filamentis in longitudinem contexti, in quibus succulenti quid contineatur.

\* 9. Oculi ipsi dein methodicè, ante dissectionem sui (juvande memoriae ergò) in Partes Communes, Palpebras cum Ciliis videlicet, Glandulas, Tunicam Adnatam, Vasa Sanguinea, (in Ophthalmiâ cum primis conspicua) Ductus Aquosos (& Vasa Lymphatica) & in Partes proprias, Nervos videlicet: (Opticos & Motorios) Musculos (in Homine sex, in Quadrupedibus septem, excepto Chamæleonte, cui nulli, sicut Noctuae quoque, & Piscibus) Pinguedinem Musculis interstratam, Tunicas globulares tres (Corneam, Uveo-Retinam, Medullarem) Humoresque totidem (Aqueum, Vitreum, Crystallinum) & Tunicas Humorales duas, (Crystallinam, cum ligamento Ciliari, & Vitream) divisi.

\* 10. Chamæleontis Cerebrum, Oculi, Nervi Optici (concur-  
sus